

Werner Carl Ludwig Ziegler


**Viro Summe Venerabili Et Doctissimo Ioanni Christ. Guil. Dahl ... Dignitatem  
Doctoris Theologiae D. VI Februarii A. C. MDCCCVII Ex Auctoritate Ordinis  
Theologorum In Academia Rostochiensi ... Publice Testificatur D. Werner Carolus  
Ludovicus Ziegler ...**

Rostochii: Adler, 1807

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746461259>

Druck Freier  Zugang





Kl. 241. (2.) <SON>



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn746461259/phys\\_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746461259/phys_0003)



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn746461259/phys\\_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746461259/phys_0004)

15

V I R O

SUMME VENERABILI ET DOCTISSIMO

# IOANNI CHRIST. GUIL. DAHL

THEOLOGIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO  
ET SEMINARII PAEDAGOGICO - THEOLOGICI DIRECTORI  
IN ACADEMIA ROSTOCHIENSIS

DIGNITATEM DOCTORIS THEOLOGIAE

D. VI FEBRUARII A. C. MDCCCVII

EX AUCTORITATE ORDINIS THEOLOGORUM

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSIS

RITE COLLATAM ESSE

PUBLICE TESTIFICATUR


D. WERNER CAROLUS LUDOVICUS ZIEGLER

FACULTATIS THEOLOGICAE H. T. DECANUS.



ROSTOCHII

T Y P I S A D L E R I A N I S



**Q**uem Vir summe Venerabilis, DAHL, in quem dignitatem Doctoris Theologiae collatam esse hoc scripto indicatur, a nobis petiisset, ut summos ipsi in theologia honores decerneremus, et specimen exhibuisset legitimum, quo sibi aditum ad eos pararet; nos vota collegae coniunctissimi libenter ac sineulla mora habuimus rata. Quis enim dignior nobis videatur, in quem hos honores conferamus, quam hic talis Vir, qui per plures annos de republica nostra literaria et docendo et scribendo eximie meruit, et quem libentiori animo hac dignitate decoremus, quam eum, qui iamdudum collegii vinculo nobiscum erat coniunctus? Est igitur omnino, quod cum *Plauto dicamus „promerenti hoccine pretii redditur“ et cum Cicerone „fructus omnis praestantiae tum maximus capitur, quum in proximum quemque confertur“ a).* Verum eadem necessitudo, quae mihi, Ordinis nostri interpreti, cum Viro doctissimo intercedit, me impedit, quo minus in laudes eius excurrat, et cogit me, in exsequendis iis, quae iam officii mei sunt, modeste conquiescere. Decrevit enim Ordo noster, ut in his solemnibus indicendis, more a maioribus instituto proluderentur quaedam, quae ab argumento dissertationis pro obtainenda dignitate oblatae haud aliena essent. Constitui igitur pauca disserere

*de sensu nominis epistolarum catholicarum, earumque numero  
in vetustissima ecclesia.*

Inter varias, quas viri docti de sensu nominis των επιστολων καθολικων tulerunt sententias, quarum enumerationem satis copiosam invenies in prologis ad harum epistolarum interpretationem a. VV. s. VV. POTTIO b) et AUGUSTIO c) scriptis, non reperiuntur nisi tres, quae probabilitatem haud

con.

a) *De Amicit. c. 19.*

b) *Editio Epistole Jacobi altera p. 25 sqq.*

c) *Die kathol. Briefe neu übersetzt. P. I. p. 15 sqq.*

contemnendam prae se ferant, et dignae sint, ut accuratius examinentur. Ne igitur iustos huius scriptioonis fines excedere videantur, in earum probabilitate ponderanda et dijudicanda subsistamus, caeteris omnibus nunc quidem relictis ac spretis.

Primo loco ponamus veterem illam explicationem, quae docet: „epistolae nostras dictas esse καθολικας veluti εγκυριας, quoniam non singulae genti aut civitati inscriptae sint, ut Pauli epistolae, sed in universum (καθ' ολις) omnibus omnino Christi auctoritate“ d) unde ergo sequitur, hoc nomen a vetustissima ecclesia nostris epistolis impositum esse consilio, ut a Paulinis distinguerentur. — Haec expositio utique habet, quae eam commendent, et analogiam priorum ecclesiae temporum et traditionem perantiquam; sicut enim vetustissima ecclesia distinxit inter *Eusebium* et *Apostolum*, ita quoque distinguere potuit inter epistolae Paulinas et Non-Paulinas sive Catholicas. Porro illa explicatio, quamquam deinde a scriptoribus senioris aevi proponitur, tamen traditione aliqua historica a ve-

tu-

- d) Ita enim *Leontius*, qui in fine seculi sexti claruit, de *Seccis* c. 2. *Καθολικαι de εκκλησησ*, επειδαν ρ προς ἐν εθνος εγκαφησαν, ὡς αἱ τε Παυλος, αλλα καθολικη προς ποντος et uberioris in eandem sententiam *Oecumenius* in Cap. I. *Jacobi*, (nisi fallor ex *Theodoreto*)  
*Καθολικαι λεγονται αυται, οιοντει εγκυριοι, ρ γαρ αφορισ-*  
*μενως εθνει ενι η πολει, ως θεος Παυλος, οιον Θωμασιος η Κο-*  
*ρηθησιοις, προτρανει ταυτας τας επισολας ο των τοικτων τε Κυ-*  
*ριεις μαρτυρων Θωστος αλλα καθολικη πιστοις, ητοι*  
*Ιερατοις τοις εν τη διασποραι, ως Πετρος, η και πασι τοις*  
*ὑπο την αυτην πιστιν Χριστινοις τελεστην.* Reperio scilicet haec verba tanquam verba *Theodoreti* in *Wolfii* et *Portii* prolegomenis in epistolae catholicas; sed neuter eorum locum *Theodoreti* certum indicavit, ubi existent. Quum vero ea in *Theodoreti* operibus frustra quæsiverim et apud *Suicerum* in *Thef. eccles.* v. *καθολικος* verba *Oecumenii* in caput I. *Jacobi* p. 115 idem sonantia, quamvis contracta, legantur; equidem conjicio, *Oecumenium* ea ex *Theodoreti* libro deperdito excerpta dedisse. Quae quidem res facile ad liquidum perduci poterit ab eo, cui potestas est adeundi *Oecumenium* ipsum. Caeterum eadem verba invenies tanquam scholion in *Matthaei N. T. principio epist. Jacobi*

tusitate accepta nisi videtur, nam ita abhorret a consuetudine et usu seculi quarti et quinti, ut a superioribus temporibus derivanda sit, ubi epistolam ad Ebraeos a Paulo scriptam esse adhuc dubitabatur, et ubi epistolae Joannis posteriores nondum in numerum epistolarum catholicarum referebantur. Alioquin enim quilibet sanae mentis non potuisset non videre, illam non quadrare, quoniam hoc sensu epistola Pauli ad Ebraeos aequa erat *universalis* sive catholicæ, epistolæ vero Joannis posteriores, ad singulas personas scriptæ, nullo modo universales vocari poterant, sed quia maxime particulares putandæ erant. Qua quidem observatione quoque plures oppositiones removeti possunt, quæ contra illam veterem expositionem prolatae sunt. *Obiiciunt* scilicet, eam non esse posse genuinam, quoniam eius sensus non cadat in epistolam Pauli ad Ebraeos, quæ sit universalis. Respondemus, in vetustissima ecclesia parum exploratum fuisse, num Paulus auctor epistolæ habendus sit, an alienus? et ab *Hieronymi* demum temporibus morem invaluisse, eam τοις ὁμολογουμένοις accensendi. Quare etiam eruditæ nostri temporis eodem modo dubitantes, quo veteres, eam Pauli non esse posse pronuntiarunt, inter quos b. MORUM, præstantissimum N. T. interpretem et sobrium in arte critica iudicem, ante omnes alios laudasse sufficiat e). Potuisset igitur haec epistola iure suo catholicis annumerari, et forsitan iis annumerata fuisse, nisi traditio aliqua particularis eam Paulo adscriptisset, quod in causa fuit, cur eam ut dubiam in medio relinquerent. *Obiiciunt* porro, e. g. (ut nostrates taceam) COTELERIUS f) et BENSONIUS g) illi veterum expositioni adversari epistolas Joannis posteriores ad singulas personas scriptas. Enimvero pro certo affirmare licet, has epistolas prioribus ecclesiae temporibus nomine catholicarum epistolarum non insignitas fuisse, sed hanc appellationem demum paulatim procedente tempore ad eas translatam esse. — Quamvis autem haec ita se habeant, tamen duo argumenta gravissima reflant, quæ impedimento sunt, quo minus veterem illam explicationem amplectamur, nam si in omnes partes considerationem intenderis, animadvertes, eam nec in epistolas omnes, quæ primitus catholicæ vocatae sunt, con-

e) cf. vita viri b. in libro bonæ frugis pleno: *Nekrolog*, herausgegeben von Schlichtegroll, 3ter Jahrgang, Vol. I. p. 333.

f) In edit. PP. apostol. T. I. p. 6.

g) Paraphrastische Erklärung des N. T. Vol. 3. in praefamine p. IX.

convenire; neque cum usu dicendi veteris ecclesiae conspirare. Scilicet inter eas, quibus principio nomen  $\tauῶν επιστολῶν καθολικῶν$  imponebatur, fuit sine dubio *prima Petri* h), quae minime ad omnes omnino Christi affectas scripta est, sed nominatim ad ecclesias in Ponto, Galatia, Capadocia, Asia et Bithynia, cf. I Petr. I, 1. Porro *Eusebius narrat* i), Acta Petri ejusque Evangelium, Praedicationem ac Revelationem nunquam inter catholica scripta ( $εν καθολικοῖς$ ) habita fuisse, quandoquidem nec vetustiorum quisquam, nec recentiorum ecclesiae scriptorum testimonio ex iis desumto usus sit. — Ratio igitur, cur quaedam scripta catholica dicentur, plane alia fuit, ac universitas eorum, quoniam sine dubio Evangelium, Praedicatio et Revelatio Petri omnibus omnino Christianis scripta essent, et hactenus in numerum catholicorum referenda fuissent. — Inde conficitur, testimonia veterum supra allegata non nisi aliqua traditione *historica*, sed explicationem, quam litteris mandarunt, ex etymologia vocis  $\tauῶν καθολικῶν$  i. e. *universalis* originem traxisse, eique eo minus fidem habendam esse, quo minus ille significatus cum usu dicendi antiquae ecclesiae congruat.

Progediamur igitur ad alteram sententiam, quae statuit: „nomen  $\tauῶν επιστολῶν καθολικῶν$  spectare naturam et indolem quarundam epistolarum, atque innuere ejusmodi scripta, quae ad promovendam et conservandam fidem catholicam i. e. orthodoxam conferant;“ unde ergo sequitur, hanc appellationem non valuisse ad distinguendum epistolas catholicas a Paulinis, sed potius ab aliis scriptis, quae non eandem fidem mererentur. — Hanc sententiam V. f. V. SCHMIDTIUS l. c. declarat probabilem, nec potest negari, eam argumentis ab usu dicendi repetitis superstructam esse, quae verisimilitudinem ei concilient. Eusebius enim epistolas *Dionysii Corinthiaci*, quas catholicas appellat h), ita describit, ut illis propterea hoc nomen indidisse videatur, quod ad fidem catholicam amplificandam et tuendam idoneae sint. Eodem sensu quoque *Origenes* l) epistolam *Barnabae* vocare poterat catholicam, quoniam in

anti-

- b) Quod sagacissime odoratus est V. f. V. SCHMIDTIUS, Theologus Giesensis, in libro inscripto: *Historisch kritische Einleitung ins N. T.* p. 297. 98.
- i) *Hist. eccles.* III, 3.
- k) *Hist. eccles.* IV, 23.
- l) *Contra Celsum* L. I, sub fin.  $\Gammaεγράπται δῆ εν τῇ Βαρνάβᾳ καθολικῇ επιστολῇ.$

antiquissima ecclesia tanquam apostolica lectitabatur, adeoque ad promovendam fidem catholicam apta iudicabatur. Verum enimvero, si hunc sensum admittamus, non appareat, quidni epistola Petri altera, Joannis secunda et tertia aequae catholicae vocatae sint (quod quidem non usu venit seculo tertio) quin aequae ad fidem catholicam fovendam et propagandam facere potuissent, ac epistola Barnabae? Quare equidem nolim hanc sententiam existimare probabiliorem, licet non omni probabilitate destituatur.

Tertia sententia est HAMMONDI, BENSONIO m) probata, et a NOESSELTO V.s.V. proprio Marte ita proposita n), ut paululum immutata etiam mihi videatur verisimilior. Suspicabatur HAMMONDUS in fine præfationis ad alteram Joannis epistolam: „epistolas catholicas esse tales, quae „ab ecclesia catholica pro vere apostolicis et canonicis haberentur, et primi- „tus non nisi primam Petri et primam Joannis, quas ecclesia catholica vere „apostolicas censeret, appellatas esse catholicas eo consilio, ut distingue- „rentur a reliquis quinque epistolis, de quarum authentia adhuc dubitaretur. „Quum vero procedente tempore reliquae quinque epistolæ quoque tanquam „vere apostolicae in canone in recipierentur, nomen ad eas translatum esse.“ — Hanc sententiam BENSONIUS l. c. pronuntiavit omnium, quae sibi innotuerint, verisimillimam. NOESSELTUS vero, qui nec ad HAMMONDUM nec ad BENSONIUM respexisse videtur, eandem sententiam, quae eius est doctrina atque sagacitas, diligentius ac subtilius ita proposuit, ut primum usum dicendi recentiorem a veteri accurate disiungeret; deinde nomen των επιστολων καθολικων principio epistolis primis Petri et Joannis propterea proprium fuisse, ut a eeteris eorumdem auctoꝝrum, quæ incertæ fidei essent, discernerentur, pronuntiaret, porro epistolam catholicam antiquitus pro epistola legitima omnium consensu probata adeoque canonica dictam esse doceret; denique nomine ad reliquas quinque nostras translato, omnes septem in unum corpus coniunctas fuisse ideo, ut a Pauli epistolis distinguenterentur, suo iure suspicaretur. — Quum vero haec sententia subinde impugnata sit, et plures dubitationes contra eam motae inveniantur o), equidem

m) Paraphrasische Erklärung des N. T. Vol. 3. in Praefam. p. X.

n) in Conjecturis ad historiam catholicæ Jacobij epistolæ V. Opusc. Fasc. II. p. 303 seqq.

o) cf. POTTIUS in Prolegomenis ad epistolas catholicas p. 26 seqq, et censor in cel. GABLERI novo diario theol. P. 16, p. 173 seqq.

dem illam paululum inversam meo more meisque argumentis denuo stabilire conabor.

Quamvis in constituendo sensu vocis τας καθολικας non soli notioni etymologicae inhaerendum, sed potius usus dicendi in primis veterissimus consulatur necesse sit; tamen ille sensus ita comparatus esse debet, ut a significatu primitivo iuste derivari possit. Iam vero η επισολη καθολικη notione etymologica non significavit nisi epistolam universalem, sive generalem. Quod si igitur deprehendis, scriptores ecclesiasticos seculi tertii Originem et Dionysium Alexandrinum tantummodo epistolas primas Joannis et Petri, illasque Judae et Barnabae, nec plures, appellare καθολικας, epistola Jacobi, secunda et tertia Joannis, atque altera Petri adeo hoc nomine exclusis, vides, universitate illarum epistolarum ad auctoritatem aliquam ecclesiae redire, nec inscriptionem respicere, quum epistola prima Petri non ad universam ecclesiam scripta sit, neque epistolarum naturam et indolem spectare, quum hactenus epistola Jacobi et secunda Petri eodem iure universales dici potuissent, quo prima. Videntur igitur illi scriptores hoc nomine indicare voluisse, epistolas, quas dicunt catholicas, ab universo ecclesiae orthodoxae coetu esse receptas, adeoque censeri genuinas i. e. vere apostolicas et divinas.

Ita quoque res se habuit et sensus τας καθολικας, si quid video, hic non est, nisi ab universa ecclesia receptus, adeoque genuinus et vere apostolicus, sive, ut postea dictum est, canonicus. Quod ut magis eluceat, agite, originem huius appellationis historice indagemus, probationem ab usu veterum petentes. — Quum epistolae Paulinae prius scriptae etiam pluribus ecclesiis prius innotuissent, atque publica lectione probatae essent, de earum authentia non dubitatum est, excepta una ad Ebraeos p), sed quum sensim plures epistolae emersissent, eaque ex singulis ecclesiis, interdum adeo remotis, ut nonnullae non nisi tempore omnibus innotescerent, suspicio de quarundam auctoritate et fide orta est, etiamsi inter has epistolae non-Paulinas erant, quae instar Paulinarum a pluribus et fere omnibus tanquam genuinae reciperentur. Quas, ut a dubiis distinguerent, canonicas ap-

p) Cf. Euseb. Hist. eccl. III, 3. Τας δε Παυλας προσδηλοι και σαφεις αι δεκατεσσαρες οτι γε μην τινες θετηκαστι την προσεξεις — — — δικαιον αγγεοιν.

appellare potuissent; sed quum haec vox de scriptis N. T. nondum in usu esset, eas nomine *catholicarum* insigniverunt. Hoc nomen dénum seculo tertio (nam in patribus apostolicis non obvium est, neque hoc sensu in reliquis seculi secundi scriptoribus ecclesiasticis) quibusdam epistolis non-Paulinis impositum est, quae vere apostolicae atque genuinae existimabantur, nominatim ab *Origene* epistolae *Barnabae* q), primis *Joannis* r) et *Petri* s) illique *Judae* t) et a *Dionysio Alexandrino*, *Origenis* discipulo quoque primae *Joannis* v), unde tuo iure coniicias, illud *Origeni*, sive saltem ecclesiae Alexandrinae originem debere. Deinde ad reliquas quatuor nostras translatum est, ita ut seculo quarto mos obtineret, septem nostras per eminentiam hoc nomine insigniendi, easque in unum corpus coniungendi, ut a Paulinis distinguerentur. — Hanc sententiam ex usu veterum derivatam esse eo magis patebit, quo diligentius loca scriptorum ecclesiasticorum huc spectantium, quorum magna pars quoque in dissertatione collegae solenni legitur, perlustraverimus. Ordiamur igitur ab *Origine* tanquam principe, nam locus *Clementis Alexandrini* x), quem laudant, huc non pertinet,

quo-

- q) I. supra citato.
- r) Comment. in Matth. V. III p. 797 ed. DE LA RUE. Προσχες, ει δυναται το απο της Ιωαννης καθολικης επισολης, γιας εχου αγαπητοι 1 Joan. III, 2. Porro Comment. in Joan. Vol. IV. p. 76. ubi verba 1 Joan. I, 5. ita laudat: εν τη καθολικη τη αυτη Ιωαννης επισολη.
- s) Comment. in Joan. T. IV. p. 135: Παρα τω Πετρω εν τη καθολικη επισολη. Σαναθεις γαρ, Φησι, σαρκι cet. cet. 1 Petr. III, 18—28. Porro apud Eusebium in H. E. VI, 25 haec sunt verba *Origenis*: ον (Μαρκον) κατινον εν τη καθολικη επισολη δια την αμολογησε (Πετρος) Φατκων ασπαζεται υμας cet. 1 Petri V, 13.
- t) Homil. VII in Jof. T. II p. 412: „Judas apostolus in epistola catholicæ dicit.“
- v) Apud Euseb. hist. eccles. VII, 25: Το ευαγγελιον το κατα Ιωαννην επιγεγραμμενον και η επισολη η καθολικη. — — — Ο δε γε Ευαγγελιστης (Ιωαννης) γδε της καθολικης επισολης προεγραψεν ειντυ το συνεδ.
- x) Stromat. L. IV. p. 512. Sylb. κατα την επισολην την καθολικην των

quoniam, dum epistolam ecclesiae Hierosolymitanae Act. XV, 23. *catholica*  
*cam* vocat, hac voce significatur primitivo, quo inter Graecos usitata erat,  
 ut sit epistola *universalis* sive *generalis*, quatenus ab *omnibus Apostolis* scripta censebatur, Hanc explicationem Clemens statim subiungit,  
 quare de vero sensu huius loci nulla controversia esse potest. Contra vero  
 neque ille neque alias scriptor ecclesiasticus seculi secundi ullam nostrarum  
 epistolarum catholicarum hoc nomine appellat y). *Origenes* igitur, qui  
 primus epistolam Barnabae vocat *catholicam*, non innuere voluit, nisi  
 eam esse *genuinam*, et *vere apostolicam* sive *canonicam*. Talis enim ha-  
 bebatur et ab illo et ab eius doctore *Clemente Alexandrino*, quod recte  
 observavit *COTELERIUS*, de epistola Barnabae ita differens z): „Quapropter  
 „*Origenes*, qui putavit opus esse *Barnabae*, creditit eam esse *canonicam*.  
 „Sunt, inquit ad v. 24. C. I. epist. ad Rom., praeterea (*sicut in multis*  
 „*scripturae locis invenimus*) etiam utriusque partis vel utriusque viae fauto-  
 „res quidam et adiutores Angeli etc. — ubi, quis non videt, alludit ad  
 „c. 18. epistolae Barnabae de duabus viis et de Angelis utrique viae praepo-  
 „sitis.“ Eodem modo *Clemens Alexandrinus* locum epistolae Barnabae  
 tanquam testimonium sacrae scripturae excitat a). Quodsi porro *Origenes*  
 pri-

τῶν ἀποστόλων ἀπαντών, συν τῇ εὐδοκίᾳ τῷ ἀγριῳ πνευμάτος,  
 τῇ γεγενμενῃ μὲν εν ταῖς Πρεξεστὶ τῶν ἀποστόλων διεκοντ-  
 θεισης δε εἰς τὰς πτησεις δι' αὐτών διακονεύτος τῷ Παύλῳ.

- y) Idem *CLEMENS*, epistolam *Joannis* primam allegans, eam vocat episto-  
 lam maiorem in *Stromat.* L. II p. 389. Φαίνεται δέ καὶ *Iωάννης* εν  
 τῇ μειζονι ἐπισολῇ τοις διαφορας τῶν αμαρτιῶν εὐδίδασκων  
 εν ττοις εαν τις ἴδῃ τον ασθελφον κ. τ. λ., i *Joan.* V. 16. Pri-  
 matam Petri vero laudat tanquam unicam in *Stromat.* 3, 18. 4, 13.  
 Πέτρος εν τῃ επισολῃ λεγει cf. f. V. DAHL p. 7. Eodem modo  
 quoque *IRENAEUS* adv. *Haeres.* v. 23. „Petrus ait in epistola sua“ cf.  
 DAHL p. 5.
- z) In PP. apostol. T. I. p. 6.
- a) *Stromat.* L. II. p. 410. Sylb. Οὐ μοι δέι πλειονῶν λογων παραθε-  
 μενῶ μαρτυν τον αποστολικον Βαρναβαν (ο δε των εβδομηκοντα  
 ην, καὶ συνεργος τε Παυλῳ) κατα λεξιν ὡδε πας λε-  
 γουτα κ. τ. λ. Alio loco Barnabam vocat *Apostolum* (ut in *Act. XIV,*  
 14) L. II. p. 373. 75. et subinde eum laudat p. 389. 396. 571. 72. 77.  
 78.

primam Petri nominat *catholicam*, ille non minus indicare voluit, eam esse ab universo ecclesiae orthodoxae coetu receptam, adeoque genuinam, vere apostolicam et canonicam, nam loco ultimo supra laudato b) paullo inferius subiungit: „Petrum unam duntaxat reliquise epistolam omnium „confensu receptam, quum de altera ambigatur.“ Cernis igitur την επιστολην καθολικην et ὅμολογην ei esse aequalem. Quibus quidem ita comparatis inde quoque concludere licet ad epistolam *Joannis*, quarum primam loco supra citato nominat *catholicam*, alio vero loco ita distinguit a secunda et tertia, ut tantum primam illam genuinam et vere apostolicam sive canonicam iudicasse existimandus sit c). Hinc sua sponte patet, eundem sensum quoque admittendum esse, dum epistolam *Judeae* aequa dicit *catholicam*. *Dionysius* vero *Alexandrinus*, *Origenis* discipulus, in fragmentis ab *Eusebio* servatis saltem hactenus cum doctore suo conspirat, ut *primam Joannis epistolam* aequa nominet *catholicam*, et reliquas duas nomine των φερομενων (i. e. quas *Joannis* esse ferunt sive censem) tanquam dubias a prima discernat d). Scripta huius viri praeter fragmenta quaedam periisse dolemus, quum sine dubio ex iis multa alia probari potuissent. Ceterum ex omnibus his argumentis id efficitur, *seculo tertio*, quantum scimus, nomen των επιστολων καθολικων non nisi tribus N. T. epistolis fuisse inditum, *primaee Joannis*, *primaee Petri* illique *Judeae*, quam saltem *Origenes* gen-

B 2

78. Teste vero *Eusebio* (*Hist. eccl.* VI, 14.) in libris *Hypotyposeon* et huius epistolae et aliarum catholicarum compendiosam instituerat expositionem.

b) Apud *Eusebium hist. eccl.* VI, 25. Cf. DAHL p. 10.

c) Fragmenta e tomo Vto Commentt. in *Joan. Opp. T. IV.* p. 95 ed. DE LA RUE. Καταλελοπε δε και (Ιωαννης) επιστολην που οι γων σιχων ετω δε και δευτερον και τριτην, επει χ παντες Φασι γνησιας ειναι αυτας. Eadem *Origenis* verba v. apud *Euseb. H. E.* VI, 25.

d) cf. *Euseb. Hist. eccl.* VII, 25: Το ευαγγελιον το κατα Ιωαννην επιγεγραμμένον, και η επιστολη καθολικη. — — — Ο δε γε ευαγγελισης όδε της καθολικης επιστολης προεγραψεν είστε το ονομα. — — — Αλλ' χ δε εν τη δευτερη φερομενη Ιωαννης και τριτη, καιτοι βρεσκεντις ωστις επιστολαις ο Ιωαννης ονομασι προκειται κ. τ. λ.

nuinam censuit. Putares etiam epistolae Jacobi; at vero Origenes, qui primus hanc nominatim laudat, eam non dicit catholicam, sed potius nomine της Φερομένης eam declarat dubiam e).

Transeamus nunc ad seculum quartum, et videamus ante omnes alios Eusebium. Enimvero quod ad hunc ecclesiasticae historiae patrem attinet, constat inter omnes rei peritos, eius dicendi genus parum diligens esse atque subtile, sed rude potius et subinde confusum, unde e. g. factum est, ut locus ille insignis, ubi de scriptis ὁμολογουμένοις, αντιλεγομένοις et νοθοῖς agit, tantis implicaretur difficultatibus. Quare ante omnia eo emitendum est, ut in locis hue pertinentibus distincta discernantur a minus distinctis, et ut varius eius usus vocis τας καθολικas accurate observetur, quo facto omnia erunt expeditiora. Itaque primo loco notetur, eius tempore omnes septem nostras epistolas Non-Paulinas iam vocatas esse catholicas; sed Eusebium quoque, dum illas appellat „sic dictas (ονομαζομένες, λεγομένες) catholicas“ simul innuere, hoc nomen abusive ad reliquas dubiae fidei translatum esse, e. g. ad epistolam Jacobi et Judae, quamquam non iniuria, quandoquidem illae una cum ceteris genuinis in pluribus ecclesiis publice praelegantur f). Inde, si quid video, sua sponte sequitur, Eusebium quoque sub voce επιστολης καθολικης intelligere epistolam genuinam, vere apostolicam sive canonicanam. Sed non opus est, ut in probanda hac nostra sententia huic loco soli inhaeremamus, quum insuper aliunde probari possit. Etenim alio loco Eusebius refert g), „primam Petri epistolam omnium consensu esse receptam (αναμολυται) cum veteres ecclesiae scriptores eam ut indubiam (αναμφιλεκτον) in scriptis suis laudassent. Alteram quidem Petri non esse, quae in numero librorum N. T. habeatur (εκ

e) cf. Orig. Comment. in Joh. p. 306 T. IV ed. cit.

f) Vid. locus classicus Hist. eccl. II, 23. fin. Ταῦτα δέ τα κατατον Ιακωβον, ἐ ή πρωτη των ονομαζομενων καθολικων επιστολων ειναι λεγεται. Ιερον δε, ὡς νοθευεται μεν ἐ πολλοι γενι των παλαιων-ουτης εμνημονευσται, ὡς κατε της λεγομενης Ιεδα, μιας και ταυτης εστις των επτας λεγομενων καθολικων. Όμως δε ισμεν, και ταυτας μετα των λοιπων εν πλεισταις δεδημοσιευμενας εκκλησιασι.

g) Hist. eccl. III, 3. Cf. DAHL p. 16.

„εὐθαδύκον εἶναι): sed quum pluribus utilis visa fuisset, etiam cum reliquo sacrae scripturae libris lectitataim esse. Enimvero *Acta*, *Evangelium*, *Praedicationem* et *Revelationem* Petri nunquam inter *catholica scripta* (εν καθολικοις) relata fuisse, quandoquidem nec vetustiorum quisquam nec recentiorum ecclesiae scriptorum testimonio ex iis libris desunto usus sit.“ Apparet igitur, *Eusebium* h. l. primam Petri nominare αὐτομολογημένην sive omnium consensu probatam i. e. canonicam, quum veteres in scriptis suis saepius ea usi sint, et *Acta Petri* cet. cet. declarare non *catholica*, quandoquidem nec veteres nec recentiores scriptores eorum testimonio usi sint — unde sequitur, επιτολην ὄμολογημένην et καθολικην ei esse aqualem, quare etiam STROTHIUS in versione Germanica huius loci ultimam vocem recte vertit *canonicam*. Nisi *Eusebius* confuso suo genere dicendi utens sententiam de altera Petri immiscuissest parum accuratam, quamquam illam epistolam alibi (H. E. III, 25.) rectius vocat αυτιλεγομένην i. e. δευτεροκανonicην, vix fieri potuisset, ut viri docti illum locum in contrariam sententiam adducerent, licet NOESSEL-TUS verum ejus sensum jam exposuisset h). Recte igitur CASSIODORUS i) epistolas nostras *catholicas* nominat *canonicas*, quum epistola *catholica* semper eo sensu dicta sit, ut significet *canonicam*. Contra vero plane alio vocis sensu *Eusebius* epistolas *Dionysii Corinthiaci* appellat *catholicas* k), quum contextus doceat, epistolas *catholicas* h. c. dictas esse pro *orthodoxis*, quo sensu *Eusebius* εκκλησιαν καθολικην aliasque huius generis dicendi formulas componit. Huc quoque locus alius *Eusebii* l) valde obscurus referendus, ubi *Apollonius*, scriptor seculi secundi, afferit, „Themiso-s, nem Cataphrygium ausum esse, imitando Apostolum m) conscripta aliqua epistola *catholica* eos instituere, qui fideliores ipso fuissent.“ Hic ultima verba docent, epistolam *catholica* dictam esse pro *orthodoxa*, nam *fideliores* sunt *orthodoxi*. Denique *Amphilochius* n) (sive alius seculi

h) l. c. p. 305,

i) *Divin. lectr.* c. 8. cf. *Dabl* p. 6.

k) *Hist. eccl.* IV, 23: Χερσιμωτατον απασν εαυτον καθισας εν ταις καθολικαις προς εκκλησιας επιτολαις.

l) *Hist. eccl.* V, 18.

m) Non apparet quem? nisi forte ὁ Αποστολος h. l. vetustissimo dicendi usi pro scriptis Apostolorum, exceptis Evangelii, positus sit,

n) In *Jambis ad Seleucum* p. 310—315. cf. *Dabl* p. 21.

culi quarti auctor) de numero epistolarum catholicarum refert, alios modo tres recipere i. e. exiliimare canonicas primas Petri et Joannis illamque Jacobi, alios vero omnes septem nostras, unde patet, epistolam Jacobi tempore huiusce auctoris maiorem auctoritatem nactam esse, quam illam Judae, quae Origeni erat tertia catholica.

Sed haec hactenus. Subiungamus nunc, quae Vir summe Venerabilis de vita sua in literis perpetuo exacta breviter et modeste ipse exposuit:


„Ego JOANNES CHRISTIANUS GUILIELMUS DAHL calendis Septembr. anni MDCLXXI Rostochii natus sum, parentibus adhuc superstitionibus iisque ob probitatis exemplum singularemque me, unicum filium, a teneris iuste educandi curam pietate mea dignissimis, patre JOACHIMO FRIDERICO, civi Rostochiensi, viro honesto, et matre CATHARINA DOROTHEA CRAMER. Ut aetas puerilis ad humanitatem liberaliter informaretur, tradiderunt me viris, qui eo tempore in hac urbe iuuentuti privatim edocendae operam navabant, quorum ex numero grata mente mihi nominandus est cl. STEIN, ll. aa. magister. Deinde quum iste ad munus concionatoris sacri a coetu christiano Germanorum Gothenburgiae in Suecia degentium vocatus abiisset mihiique, cuius animum literarum dulcedo iam occupaverat, parentibus non quidem excitantibus, nec tamen retinentibus, propositum esset, vitae dies viresque scientiarum, Theologiae in primis studiis dicare, scholam civitatis patriae publicam, ubi ad academiam praeparantur iuuenum ingenia, annum decimum tertium agens intravi ibique a viris postea placide defunctis, Correctore SPIEGELBERGIO et Rectore ac Prof. LASIO bonis et utilibus literis, maxime latinis, per quadriennium solerter et fideliter imbutus sum. Praeterea horis privatis geometriae elementa me edocuit OERTHLINGIUS, qui deinde ecclesiae Satowiensis pastor premature vita decepsit. In addiscendis vero linguis exoticis gallica, anglica ut et italica me adiuvit egregia doctrina clarissimi ac amicissimi AHLWARDTI, qui tum in hac litterarum universitate privatum docebat, nunc vero de gymnasio Oldenburgensi, cui praefest, bene meretur. Anno 1788 circa festum Michaelis ad studia academica progressus sum, iam antea ab ill. Icto ESCHENBACHIO, tum temporis academiae Rectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus. Frequentavi lectiones philologicas et philosophicas triumvirorum, qui iam ad beatas sedes migrarunt, LASII, BECKERI et WIT-

oooooo

WITTII, pariterque philosophicas excell. ROENBERGII, mathematicas eruditissimi SCHADELOOCKII, historicas ill. NORRMANNI. Ad literarum orientalium adyta vero celebrata doctrina et indefessa cura illustris TYCHSENII nostri me admovit. E Theologorum ordine audivi summe venerabilem VELTHUSENIUM, qui posthac ad munus gravissimum summorum ecclesiastarum Bremensium et Verdensium praefecti Stadam abibat, b. PRIES et s. vener. MARTINUM, iam in academia regia bavarica Altorfina Theologum celeberrimum. Semenarii paedagogico-theologici sociis adscriptus duce VELTHUSENIO et deinde MARTINIO, exercitiis homileticis et catecheticis operam dedi. Praeterea varios antiquos Graeciae Latique auctores, utpote quibus omnis honestatis pulchritudinisque sensus acuitur viaque ad quamlibet liberalem doctrinam egregie munitur, privata diligentia, non nullos quoque praeaeunte AHLWARDTO perlegi, itemque horis subsecivis, infigantibus duumviris venerandis TYCHSENIO et LASIO, collationem codicis MS. membranei, SALLUSTIUM EUTROPIIQUE fragmentum complectentis, quem bibliotheca acad. possidet, sedulo curavi, adiuvante amico coniunctissimo, cl. ZAEPFELIHN, qui nunc per terrarum mariumque vastitatem a patria disiunctus in academia imperiali russica Casanæ efflorescente disciplinas historicas et geographicas profitetur <sup>f)</sup>). Ceterum omnibus meis in hac alma patria praeceptoribus, quorum iam nonnullos collegas, fautores atque amicos deveneror, inde quoque maxime obstrictus teneor, quod me quavis occasione ad studia privata mea regunda prudenti consilio supellectileque literaria communicanda benigne adiuvaverunt.

Anno 1792 mense Martio, stipendio SASSIANO adiutus Jenam me contuli, ibi studia mea prosecuturus. Audivi Theologos celeberrimos, DOEDERLINIUM, mox vero praematura morte lugenti academiae abreptum, GRIESBACHIUM et PAULUM, historica atque exegetica praeclare illustrantes. Frequentavi scholas philosophicas REINHOLDI, qui nunc Kiloniam ornat, et C. E. SCHMIDII, qui iam Theologorum ordini adscriptus est, itemque lectiones literarias et philologicas ill. SCHUETZII, postea in academiam Halensem reversi. Adfui quoque auditor b. BATSCHO historiam naturalem enarranti et ULRICHI, historiam artium publice delineanti. Sicuti omnium

<sup>f)</sup> Notitiam codicis una cum specimine praecipuarum lectionis varietatum publici iuris fecimus in libro menstruo Rostochiensi a KOPPIO et BURCHARDIO VV. DD. edito. Exstant quoque exemplaria singulariter descripta Lipsiae 1791. 8.



omnium horum virorum praestantissimorum merita in me fuisse insignia gratus profiteor, ita etiam benevolentiam PAULI et SCHUETZII privato usu mihi probatam animo laeto reminiscens recordor.

Quum alias civitates regionesque, quae viris eruditis, quos fovent, nec non naturae et artis monumentis visu dignissimis excellent, cognoscendi cupidine maxime flagrare, durante otio academico una cum nonnullis commilitonibus, quibuscum amica et arctior mihi intercesserat consuetudo, itinera suscepit, quorum memoria adhuc mentem lactitiae perfundit. Primum inter ferias autunnales 1792, tramite per Naumburgiam, Halam Saxonum, Lipsiam et Misenam directo, migravimus Dresdam ibique per plures dies splendidam bibliothecam, museum antiquarium ceterosque literarum artiumque thesauros perlustravimus. Deinde supra montium metalliferorum iuga per Friburgam, Chemnitium, Altenburgiam Geramque in Almam Jenensem reversi sumus. Inter ferias vernales vero 1793 per sylvam thuringicam cursum direximus Coburgum, Bambergam et mafarum sedem Erlangensem; inde tetendimus Norimbergam et in academiam Altorfianam. Undique fere viros eruditos salutavimus rerumque memorabilium copias inspeximus. Tum per Baruthum redeentes iter incundissimum et utilissimum confecimus.

Anno 1793 circa festum Mich. Jenae valedicens academiam Goettingensem eo in primis consilio adii, ut scientiarum adminicula, quibus abundat et splendet, cognoscere. Projectus sum per Vinariam, Erfurtum, Gotham, Schnepfenthaliam, instituto Salzmanni paedagogico notissimam, Isenacum ac arcem, cui Wartburgia nomen est, olim maxime celebrem. Goettingae paucos dies post adventum illo morbo, cuius vi funestissima nuper inventum JENNERI, Angli, humanam gentem liberavit, tam graviter affectus sum, ut morti proximus essem. Vatitudine auxilio divino et solertia praestantissimi medici, ALTHOFI, feliciter restaurata adhuc per aliquot menses recitationes virorum celeberr. HEYNII, EICHHORNII, SPITTLEKI et HEERENI frequentavi et bibliothecae acad. copias in usum meum convertere studui.

Anno 1794 post Paschatis festum, Cassellis antea visis, per Hannoveram et Hamburgum in patriam redii. Suerini vener. TODE, tum rebus ecclesiasticis per aliquam terrarum megapolensem partem summe praefectum, reverenter accepsi, ut licentiam concionandi impetrarem inque numerum candidatorum s. ministerii reciperer. Cui rogatni

meo

meo, postquam examine theologico defunctus eram, vir beatus humanissime satisfecit. Quo facto ad patrios lares reversus hic unum per annum otium meum literarum studiis retractandis et uberioris excolendis tribui.

Sequente anno post festum paschale Gustroviam abiui, viro animi candore et humanitate clarissimo, consultissimo NEUMANNO, consiliario aulico et rerum ecclesiasticis procuratore mihi quatuor filios iuste educandos erudiendosque demandante. Laetor adhuc bona occasione, me rebus paedagogicis ex ipsa praxi idoneum reddendi, nec sine iucundissimo sensu recordor gratiam consuetudinem biennem cum ornatissima gente NEUMANNIANA et SPALDINGIANA itemque cum ecclesiarum Gymnasiique Gustrov. doctoribus, in primis DIETZIO meo, qui nunc Ratzeburgensem scholam cathedralem regit.

Mense Aprili anni 1797 Rostochium redii, ibi in academia patria, licentia ab inclito Philosophorum ordine antea gratiose impetrata, lectionibus publice privatimque habendis operam daturus. Praeceteris recitationes in veteres auctores classicos desiderio iuvenum bonas literas adamantium convenire videbantur, quoniam graecae ling. Professor, qui tum erat, annorum gravitate corporisque infirmitate, quo minus lectionibus vacaret, impediabatur. Tales ergo indixi statimque mihi contigit, ut auditores assidui adessent. Quo incitatus anno subsequenti magisterii philosophici honores petii atque examine rigoroso exantlato, Decano ordinis Philosophorum ill. NORRMANNO d. 11 Apr. accepi. Continuavi paelectiones in varios auctores graecos atque latinos tam poeticae quam prosae orationis, antiquitates romanas quoque explicui, postea vero interdum etiam, quae ad philologiam sacram pertineant, illustravi. Praeterea et in iuventute ad studia academica nondum matura literis humanioribus imbuenda, sermonibus sacris coram populo habendis scriptisque elaborandis operam collocavi.

Postquam hoc modo per quinque et quod excurrit annos literas pro virili excolendo mihi ipsi ut aliis prodeesse studueram, contigit ut Senatus huius civitatis amplissimus, Academiae Compatriotus professionem graecarum literarum ordinariam, cuius missiōnem senex fere nonagenarius idemque meritissimus, LASIUS, rogaverat, ex libero consilio mihi demandaret. Quo facto d. 29 Octobr. 1802 in senatum academicum legitime recipiebar. Paulo post societas latina



Jenensis felicissimis auspiciis celeberrimi EICHSTADII instaurata me  
sibi socium adscripti et diplomate honorifice ornavit.

Sicuti antea, ita etiam nunc, non adversantibus suscepti munieris  
ratione et partibus, socrarum et profanarum literarum studium amico  
consortio tam publice quam privatim iungendum esse statuebam. Nec  
tamen cogitabam, me mox ad disciplinas theologicas unice docendas  
vocatum iri. Res insperata accidit. S. ven. MARTINI aestate 1804  
locum inter theologos rebusque eccles. evangel. regundis praefectos in aca-  
demia Herbipolitana honorificissime oblatum accipiebat. Dignus ex-  
istimabar quem Theologorum ordo concinentibus ceteris senatu acade-  
mico adscriptis, inter viros eruditos ad munus vacuum capessendum idoneos  
nominaret indeque SERENISSIMO PRINCIPI, cuius prosperi-  
tatem in hac temporum acerbitate ardentissimis precibus Deum oramus,  
clementissime visum est, mihi sacras literas in hac academia profitendi  
unaque Seminarium paedagogico-theologicum consilio, paelectionibus  
atque exemplo dirigendi demandare provinciam. Cuius gravissimi mune-  
ris partibus et officiis religiose satisfaciendis vires meas qualescumque, si-  
cuti impendi, ita Deo auxiliante impendere pergam.

More id postulante indicem scriptorum a me editorum subiungo:

*Amos* neu übersetzt und erläutert. Göttingen 1795. 8mai.

*Observationes philologicae atque criticae ad quadam prophetarum minorum  
loca, subiuncta vernacula Chabacuci interpretatione.* Neostrel. 1798. 8mai.

*Sallust's Catilina* (eum praemissa commentatione de vita morumque et ingenii  
indole Sallustii) herausgegeben, cet. Braunschw. 1800. 8.

Erklärende Anmerkungen zu *Sallust's Catilina*. ibid. eod.

(Uterque liber pertinet ad opus consilio et sumtibus cel. Campii multis vo-  
luminibus editum atque inscriptum: *Encyclopädie der latein. Classiker &c.*)

*Chrestomathia Philoniana* sive loci illustres ex Philone Alex. decerti et cum  
animadversi. editi. Hamburgi 1800. 8

*Chrestomathiae Philoniane Pars altera* sive *Philonis Alex. libelli illustres ad-*  
*versus Flaccum et de legatione ad Caium c. animadver. editi.* Hamb. 1802. 8.

*Animadversiones criticae in Taciti Agricolam.* Rostoch, 1802. 4.

Aukündigung und Proben einer neuen deutschen Uebersetzung des *Fl. Josephus*  
vom iüd. Kriege — extant in cel. *Gableri novissimo diario theologico in*  
*ann. 1802. Vol. I. p. 465—506.* (Tam versio quam adiunctae animad-  
versiones criticae, historicae cet. viris eruditis probabantur, sed a clar.  
*Frise* certior factus, eum versionem operis illius praestantissimi paene  
absolvisse, consilium meum abieci.)

Theo.

Theocriti Carmina, recensuit et annotationibus instruxit cēt. Lips. 1804. 8.  
Descriptio vitae et ingenii b. Lafii — in cel. Schlichtegroß Nekrolog aufs J.  
1803. — ed. Gotha 1804.

Quae ad Ephemerides literar. extraneas libris philologicis et theologicis recen-  
sendis contulerim, hic non inveniunt locum. Eorum vero, quae interdum libris  
menstruis in patria editis inserenda dedi, solummodo memorare iuvat commen-  
tationem novissimam: *Noch etwas über das Kirchengehen — in amiciss. Dietzii*  
*Mecklenburg. Journal, May 1806. pag. 321—380.*“

Quibus quidem illius scriptis nunc accedit erudita haec dissertatio,  
quam pro consequenda Doctoris Theologiae dignitate Ordini nostro obtulit

DE ATENTIA EPISTOLARUM PETRINAЕ POSTERIORIS  
ATQUE JUDAE.

Faxit Deus ter Optimus Maximus, ut Vir Doctissimus christianaе disci-  
plinae ejusque Theologiae apud nos propagandæ atque excolendæ fru-  
ctuosisssimam porro operam impendat. Ita fiet, plaudentibus omnibus bo-  
nis, ut, qui in posterum egregia eius institutione usuri sint, non minus  
ad salubrem ingenii morumque culturam proficiant, quam alii plures,  
qui ea iam usi sunt, profecerunt. Proinde et nos laetabimur, si colle-  
giam nostrum coniunctissimum doctrinae ac verae pietatis laude florentem,  
omnibus rebus, quibus humana felicitas censemur. cumulatissimum videri-  
mus. P. P. in Academia Rostochiensi d. VI Februarii MDCCCVII.

DE VOTINIS EPISTOLARUM. HISTORIE. TORRENTIS  
AD 1600. INCLAVE.





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn746461259/phys\\_0025](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746461259/phys_0025)





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock


[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn746461259/phys\\_0027](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746461259/phys_0027)



temporis D E O mirabiliter dirige  
Etiam, Patriam suam Helyetiam, Pra-  
linquens in Romanum imperium  
sincerum verbum DEI pro germina-  
vir juvenis, Linguarum, Historiarum  
os, (cujus amore cum primis flagraba-  
incubuit, ita ut Imperator Caiolu-  
Poetica, in quibus inter alia egregi-  
niae descriptis, non sine singulari an-  
stante Cæsaris documento) legit, ac  
reâ, quæ tum magna erat dignitas, e  
occasione stemma Nobile Fidlerianum  
Album Nobilium Romani Imperii  
& ultra, pro placito Cæsareo coopta-  
tem utriusq; sexus derivandum, p  
renovavit. Huncq; meum præno-  
licem Fidlerum ob singularem eruditio-  
ingenij & animi Heroici dotes, pro-  
buit. Hac Nobilitate quamvis no-  
gratiâ Domini mei Jesu Christi, in i-  
menter mihi immerito concessâ:  
pudet, sed magis me nobilitare ci-  
S. S. Ministerium, ad quod Domini  
ministrum suum destinavit. Hæc  
summa dignitas, omnes humanas di-  
titulos superans.

Natus autem sum Ego CONS  
LERUS, Dantisci Anno 1579. 6. I  
tina Patre VALERIO FIDLERO  
re, quondam Ducis Prussiæ Archi-  
Alberti Friderici Consiliario, M  
gard præclaræ Familiæ, & insignium

A 2



mē dete-  
jos dere-  
am, ubi  
enit, ceu  
& Poëse-  
ligenter  
opera.  
Germa-  
tate (te-  
ltrò lau-  
rit, & hac  
cum, ad  
centum  
osterita-  
Cæsareo  
vum Fe-  
ræclaros  
ario ha-  
sed solâ  
erio cle-  
jesus non  
ogiam &  
avit, &  
as: hæc  
onorum

IS FID-  
tâ matu-  
e Docto-  
ij Ducis,  
d Herm-  
Matronâ,  
qua

Image Engineering Scan Reference Chart Test 63 Serial No.